

nequit, validè omnino mercurio resisteret, ut summam Baroscopii extremitatem attingere nequeat, uti videmus in campanis urinatoriis, qvæ, licet ipsis aquarum fluctibus quam profundissimè submersæ fuerint, aquam tamen campanam replere, ejusque summitatem attingere, incarcertus aer non finit, ut ita siccus Urinator in ipso maris fundo intra campanam se detinere possit, vid. Clar. Sturmium in Coll. Curios. Tentam. I. part. I. p. I. seqq. Non tamen harmonicè de spatio hoc vacuo Autores conspirant: Non pauci spatium hoc planè, etiam ab æthere cœlesti vacuum esse, firmiter sibi persuadent, in quâ sententiâ inter alios est Georg: Sinclairus L. 4. Dial. 2. N. 4. in arte nova & magn. gravit, & levit, maximam existimans esse difficultatem, ejusmodi corporis existentiam in rerum natura demonstrare, Fundamentum enim eorum hujus assertionis, inquit, est admodum fallax, nam quum existimant, naturam nullatenus posse vacuitates pati & sufferre, inde concludunt, necessario debere tale corpus esse, quod spatiola cuncta replete, & inanitates inde fuget & expellat. Fundamentum hoc, pergit, est fallax & incertum, quowiam à nemine hactenus est demonstratum evidenti aliquâ ratione, communem & vulgarem opinionem veram esse, vide licet, Naturam penitus ab inanitate abhorrente. Album huic dogmati calculum adjicit Otto de Guericke Consul Magd. in Experim. Magdeb. de vacuo spatio L. III. cap. 9. p. 86. dum ita loquitur: Posito autem, tamen non concessò, quod sit ejusmodi subtilior aer, qui possit vitrum penetrare, quæritur, quare non penetrat vitrum ante crassioris sic putati aeris extractionem? spatiis enim semper aliquid restat in omni vase, ita ut plus aeris inferri seu imprimi possit; Quia autem non intrat, itaque nullus est aer subtilior vel crassior quam aliis, sed aeris differentia dependet à raritate & densitate (quando nempe magis dilatatus, aut magis compressus est.) Alii contra à subtilissi-

B3

ma au-